AD QVODLIBETARIAM
QVÆSTIO MEDICA MATVTINIS DISPVTATIONIBVS AGITANDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE VNDECIMA IANVARII, MAGISTRO GEORGIO HERBAVLT DOCTORE MEDICO MODERATORE.

An tuſsis parotidibus & è contra, bonum?

NATVRA ſalutis gratia plurimas corporibus noſtris indidit paſſiones, atque vt ſternutamentum cerebro, vomitum ventriculo, gulæ ſingultum, cæteriſque partibus ſuam qua purgentur actionem deſtinauit: ſic thoraci partium ſpirabilium gratia, faciendæ tuſſis curam impoſuit, cuius cauſſa quælibet intemperies, tum ſimplex (ſola plerumque ſpiritus cohibitione, loquendi parcitate, balneoque ſedanda) tum compoſita, & materialis, quam committunt vel congeſti in pulmonibus humores, calculorum, phymatum, animalculorum, parentes, vel à parotidibus ſubſidentibus, aut ipſo etiam cerebro in fauces decidui, (quod φθόζοις ſphaceliſmo tentari ſolitis frequentiſſimum) vel ſurſum refluentes, vt in funeſta hydropicis ἐπιγένεσει, vel per tempeſtiuos circuitus periodicè recurrentes, ac tuſſim ſimptomatis quidem ſpecie commouentes, familiari tamen naturæ ſubſidio, violentoque, quamuis libero, thoracis motu non raro ſalutarem.

NON ita fœlicis ominis quæ vitio conformationis accidit, vt quæ tabulatis vitæ breuitatem, luxatiſque intus ab angina certo ſuffocationem pollicetur, tot mala pulmonem irritant, ſubſtantia, loco, officio, ſi quod aliud viſcus, morbis tum per ſe, tum συμπαθικῶς ſuſcipiendis obnoxium, ſed nihil deſtillatione frequentius, cuius patognomonicũ tuſſis, pulmoni ſalus & periculum, valida & inani concuſſione non minus θηλειώδες quam ferarum excluſione; vtero gerentibus aborſum, plethoricis hæmoptyſim, febrem nonnunquã, ſitimque in febribus excitans, pleuritidem intus exprimens, certo quidem empyematis periculo, fœlici tamen exitu, ſi conditione mutata, forti thoracis compreſſione receptam in pulmones materiam, magno ponderis leuamento diſcutiens, vna ſanitatem expectorato laudabili, ſpirandique libertatem operetur.

TVSSIS enim thoracicorum morborum comes & catharticum, pulmoniſque à catharro præſidium, verum, vt ſæpè natura ſternutamento nihil leuata, humorũ copiam à cerebro in parotides abijcit, ibique οἰδήματα κωματώδεα ſurditatis & cephalalgiæ conſectaria firmat, aluo fluente, ſi dolorifica, mali prænuntia, ſic tuſſi nihil per ἀνακάθαρσιν promouente, frequentiſſimum naturæ perfugium ſalutem per abceſſus moliri, ac modo per διαδοχὴν in teſtes aut articulos, (perſeuerante hipocondriorum dolore prænoſcendam) modo per μετάστασιν ad aures, id humoris conditione morbique natura poſtulantibus, morbum deponere: etſi non leui ſæpe partium vicinarum periculo, quo nomine potiſſimum ſuſpectæ parotides, plurimorum quidem morborum abceſſus ἠμὴρροποι καὶ οὐκ ἀντίρροποι, ſed pulmonicorum perſæpè, febriumque nonnumquam affectus διόσκυροι, quippe ſedata tuſſi morbum, ſuppuratoque laudabili recidiuæ metum auferentes.

QVID enim natura duce calamitoſum? cuius robur oſtendit perfecta μετάπτωσις, quid in hoc abceſſu periculi? cuius laudabilis in partes idoneas, & cum affecta communicantes deriuatio, ſuppurationis facilitate (quâ ſuperi abceſſus inferos longè ſuperant) fœliciter terminatur: opinor nihil. optanda ſolum eſt ea materiæ benignitas, quæ nec infenſa calore, nec tenſione moleſta, ſalubrem reſoluentiũ aut ſuppurantium vſum periculis anteuertat: quid? ſi votis optata non ſuccedit, an iuuandus attrahentibus naturæ conatus? minimè; an immoderatior ac vehementior repellentibus coercendus? multo minus. Imò, ſi (quod contingit) repellentium vſu, ſurditas, cœcitas, delirium acciderint, errhinis, ptarmicis, conſulendum: ſi ſuffocationis, paraplegiæ, phtiſeos metus imminet, periculum ſecta vena declinandum, ac collecti demum in tumorem humoris præ calore tenuitate vel maligna qualitate inſtabilis feritas, non expectata ſuppuratione, ferro tutius quam cauſtico prudenter euitanda.

PAROTIDVM aliæ molles, frigidorum, diuturnorum, εὐηθέων morborum ſequaces, aliæ prærubræ, dolorificæ, renitentes, vniuerſaliũ, acutorum, κακοηθέων: quarum hæ quidem adoleſcentibus, iuuenibus, athletis; illæ, ſenibus, pueris, mulieribus, otioſis, frequentiores, ſæpè leuiores, ac ſi forte natura calidis & robuſtis acciderint, ἀσήμως ſponte καὶ ἀσινέως præ materiæ benignitate vaneſcentes, nulloque ſuppurato glandulas parteſque vicinas infeſtantes, cuius tamen ea eſt in alijs, etiam cum manifeſtis in toto pepaſmi notis neceſſitas, vt niſi perirrhæa, vel aluo liberaliter fluente compenſetur, facta feritatis ad cerebrum ἐπιγένεσει certa mors ſit expectanda, vel eiuſdem ad pulmones facto tranſitu, (catharroicis etiam parotidibus familiari) arte nulla curanda phtiſis, ni pari naturæ robore atque conſilio, tam ſalubriter frequente cum ſputo tuſſicula recidens parotis repurgetur, quàm ſæpè fœliciter eadem pulmonum morbos tuſſeſque terminauit.

Ergo tuſsis parotidibus & è contra, bonum.



Aſſerebat Lutetiæ MARTINVS ROBICHON PARISINVS. Annò R. S. M. DC. XVIII.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Antonius le Rat.	*M. Gaſpard Brayer.*	*M. Simon le Tellier. M. R.*
M. Dionyſius le Soubz.	*M. Nicolaus Henault.*	*M. Richardus Mercez.*